

P. 59. num. 6.

1765, 44.

16

EXERCITATIO IVRIDICA
DE
IVRE CONFERENDI
QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRAE S I D E
D. FRIDERICO GOTTLIEB
Z O L L E R O

PANDECT. P. P. ECCLES. CATHEDR. NVMB.
CANON. CVRIAЕ IN PROVINCIA SVPREMAE
ET FACVLT. IVRID. ASSESS.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXVI. OCTOBR. MDCCCLXV.

PVBLICE DEFENDET

IOHANNES FRIDERICVS HÜBLER
L I P S .

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA







DE
IVRE CONFERENDI.



§. I.

Inter ea, quae iuueni literarum studiis se videnti non modicam sane proferre possunt vtilitatem, merito et illud referendum esse existimo, quod operam dare debeat ingenii sui viribus elaborando et conscribendo magis magisque corroborandis. Verum quidem est, multorum taxationi eum fore obnoxium, quia omnino primo tentamine non adeo habilis statim euadet, vt materiam, quam pertractandam suscipit, satis solide et plene proponat: nihilominus tamen laudanda erit voluntas, idque potissimum ex eo, cum non hac mente opusculi sui Autor fiat, vt illud ab omni vitio liberum diuidicatum velit a lectoribus eruditis, nec vt alii, quamvis forsitan eo ipsi min-

nus periti fint, ex eo proficere debeant, sed hunc tantummodo finem sibi proponat, ut elaborando iudicium maturius ingenio iuuenili iungere discat. Idem et mihi finis ante oculos suit, cum rationes diuersae suaderent, ut specimen quoddam, paruos studiorum profectus, compонerem. Satis enim scio, longe a me abesse dona ingenii pariter ac eruditionis, quae in eo inesse communiter postulant, qui Orbi literatorum scriptis suis innotescere cupit. Perlegenti autem mihi, et animo ponderanti varias Iuris materias, obtulit se ea, de collatione, et nescio, quo fato arripiebar, ut ab illa frustra factis conatibus, discedere non possem. Minime quidem negandum, hanc Iuris materiam iam a pluribus Viris Doctis scriptis esse subagitatam, sed forsitan in illis reperienda sunt, quae non omni dubitatione carent. Decreui itaque quaedam de hoc argumento pro debilitate cognitionis meae differere, blandissima spe fretus, ut lectores eruditii, (horum enim iudicio solum me submitto) pro humanitate, quae eiusmodi Viris, (in Philosophia simul, cuiuscunque studii primo fundamento, versatis,) propria esse debet, ut pro hac, inquam, humanitate ac benevolentia libellum meum dijudicare, nec non memores esse velint, eos ipsos non statim ad eundem doctrinae gradum peruenisse, sed temporis progressu tandem summos in eruditione habitus fuisse consecutos.

§. II.

Antea vero, quam ad ipsam argumenti nostri pertractionem accedere licet, necessarium est, ut definitionem
voca-

vocabuli, Collationis, praemittamus, quia nihil magis ineptum vocari meretur, quam de re quadam disputare, de cuius significatu nondum constat. *Ere enim est*, ait **VLPIANVS**, *l. i. ff. de reb. cred. priusquam ad verborum interpretationem perueniamus, pauca de significatione ipsius Tituli referre*. Diversimode vero consideranda est Collatio tam quoad ius antiquum, quam hodiernum. Secundum illud origo Collationis a bonorum possessione contra tabulas pariter, quam ab ea, quae dicitur, vnde liberi, dependebat, ad quam vtramque Praetor, emancipatos admittendo, eos bonorum paternorum cum his, qui sui dicebantur, reddebat participes, quo ipso vero deteriorem faciebat suorum conditionem, quam emancipatorum. Constat etenim inter omnes, liberos sub potestate patria constitutos nil sibi acquisiuisse, sed omne bonum ipsis contingens pertinuisse ad patrem: rebus enim respectu patris tales liberi adnumerabantur, et sic omne emolumen-tum patri, tanquam domino, adcrescet. Ne igitur per bonorum possessionem, in qua Praetor, vti in aliis remedii, aequitatis rationem habebat, sui sentirent prae-iudicium, emancipati ad inferenda bona propria in massam haereditariam cogeabantur. Quapropter Cuiacius optime dixit: *Collationem esse confusionem propriorum bonorum cum bonis paternis*. Initio Collationi locus erat tantum ab intestato, quod apparet ex *l. 3. et 6. ff. de dot. coll.* nec non ex *l. 7. et 17. C. de coll. bonor.* Iustinianus vero omni casu Collationem fieri praecepit, nullo respectu habitu, an quis testatus, an vero intestatus moriatur. *Nou. XVIII.*

c. 6. Nec minus iste Imperator sustulit notum illud discrimin, quo ii, qui diuerso succedebant iure, a Collationis onere erant liberi, ii vero, qui eodem iure ad haereditatem veniebant, Collationem praefare tenebantur. d. Nou. XVIII. all. e. et Auth. Ex testam. C. de collat.

§. III.

Secundum iura hodierna cessare equidem videtur Collatio, cum deficiat ratio, quae commicuit Praetorem, ut hoc remedium introduceret. Sublatum enim penitus est discrimin quoad successionem inter liberos suos et emancipatos, et cum pari iure vterque ad haereditatem parentum admittatur, bonorum possessio, quae causam Collationi dabat, non est necessaria. Nec inferunt amplius bona propria liberi, introductio enim peculiorum pariter, quam restrictio patriae potestatis efficit, ut hanc substantiam pleno iure dominii, saluis tamen effectibus ex patria potestate resultantibus, sibi retineant. Ast cum ob paritatem rationis saepiuscule leges ad alios casus adplicari soleant; quotiescumque enim, teste VLPIANO, l. 13. ff. de leg. lege aliiquid unum vel alterum introductum est, bona occasio est, caeider, quae tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione, vel certe iurisdictione supplere: ratio vero Collationis in aequitate consistat, ne inaequalis conditionis sint liberi, idque parentum voluntati videatur consentaneum, exinde, usum Collationis circa successionem liberorum adhuc valere, iure adfirmamus, eandemque describimus, quod sit actus, quo, ob praeumptionem aequalis amoris parentum erga liberos, hi bona, quae a viatis parentibus, quibus

bus succedunt, animo non donandi acceperunt, et adhuc possident, aut dolo et culpa possidere desierunt, in communem haereditatis massam, conservandae aequalitatis causa inserunt.

§. IV.

In hac materia vero potissimum tria sunt consideranda, 1) quis conferat, 2) quae bona sint conferenda, et 3) qualis sit modus conferendi. Quod ad personas attinet, quaedam conferunt ex iure communi, quaedam vero ex iure statutario. Ex iure communi conferendi necessitas iniungitur descendantibus circa haereditatem parentum, cessante penitus discrimine, vtrum sint sui vel emancipati, vel primi aut secundi gradus, vel ex testamento, vel ab intestato appetant haereditatem, praesumtio enim aequalis amoris parentum erga liberos omnem distinctionem et differentiam penitus excludit. Circa nepotes tamen obuenit quaestio, de cuius decisione DD. nondum conueniunt. Cognitum nimirum est, nepotes repudiata haereditate paterna ad successionem aui ex bonorum possessione l. vlt. C. vnde liberi fuisse admissos. Quod si itaque nepotes cum liberis primi gradus concurrunt, an ea, quae defunctus pater, cuius haereditatem respuunt, accepit conferre teneantur, mouetur disceptatio. Communiter distinguunt, vtrum cohaeredes etiam sint nepotes, vel filii, in illo casu necessitatem conferendi negant, ast in hoc adfirmant, ex principio, quia nepotes iure representationis succederent. Ratio haec adiecta mihi videtur inadaequata, cum enim nepotes ex beneficio Praetoris bona aui consequantur, proprio iure ad eandem adspirant haereditatem, nec iure
reprae-

repraesentatibus utuntur, in re tamen cum illis conuenio, motus ratione, quam Praeter in conferendo hoc beneficio pro regula agnouit. Praetor enim hoc remedium concedens illis, qui proximum habebant locum succedendi, iure ciuili tamen non obtinebant, prospiciebat, vnde filius excludebat nepotem. Si vero proximior aut sprevuerat possessionem, aut antequam agnoscat, decesserit, tunc gradu aut ordine remotior ex solo Edicto Praetoris ad successionem erat admittendus. Quapropter Imperator Constantinus in citata lege rescripsit. *Si post mortem avi intestati filius delata haereditate, priusquam se inimiseret, decesserit, nepotem ex eo, si nolit patri haeres esse, ad cui haereditatem non ciuili, sed tantum Praetorio iure peruenire posse.* His praesuppositis in aprico est positum, Praetorem per hoc beneficium noluisse praciudicare iis, quorum iura nisi fortiora, certe tamen aequalia erant. Ait longe inferior fieret conditio liberorum, si nepotes cum illis aequali iure succedere, nihilominus tamen, quod eorum pater acceperit, retinere, nec in massam haereditariam conferre tenerentur. Certe tali modo patrocinium dolo praestaret Praetor, quod tamen, cum aequitatem semper respiciat, non est asserendum. In praxi tamen profiteor contrarium obtainere, et decidendi rationem in eo inuenies, quod nepotes repraesentent gradum patris quoad succedendi modum, non vero quoad successionis onus. Ex iure statutario conferunt illi, quibus statuta hoc imponunt, qua ex causa iure Saxonico, si succedere velit vxor marito, ut propria bona in massam haereditatis inferat, requiritur.

§. V.

§. V.

Bona, quae Collationi subsunt, sine dubio ex definitione praemissa sunt ea, quae filius a viuo parente, cui succedit, animo non donandi accepit, et adhuc possidet, aut dolo vel culpa possidere desit: quae sententia *l. 6. et 15. C. de collat. l. 1. §. 9. ff. de dot. coll. l. 2. §. 2. ff. de coll. honor. et Nou. XCVII. c. 6.* probatur. Sicut vero secundum tritum illud prouerbium, nulla regula exstat sine exceptione, ita et in hac variae deprehenduntur limitationes, in quas breuiter admodum inquiramus. Ac primo quidem loco DD. ponunt I. sumtus studiorum, quos minime conferendos esse existimant, per *l. 50. ff. fam. hercisc.* Verum haec lex, vti iam ab aliis obseruatum, proprie non probat eorum sententiam, quandoquidem nihil ibi legitur de Collatione, sed sermo est tantum de imputatione in legitimam. Ex mente tamen legis et vtili eiusdem interpretatione, ob rationis paritatem, haec applicatio ad Collationis materiam admittenda videtur, quamquam adhuc inuenieris, quae obiici possent, quorsum non immerito referendum, quod haec lex tantum sit ex inuentis propriis ICti qui singulares opiniones saepius excogitauerit. Concedamus autem sumtus studiorum a Collatione eximi, hoc tamen omni casu verum esse affirmare quis audeat? cum in ipsa cit. lege haec limitatio reperienda, nisi pater credendi animo misisse fuerit comprobatus. Idque fieri potuit vel in testamento, vel alia quavis contestatione a viuo patre facta, et ab haerede probanda. Alteram eius-

B

modi

modi limitationem tradit III. MASCOV. in *diff. de Collatione bonorum*, nempe si filius plus vini quam olei impendit, profusa luxuria et perdita nequitia, quam vero, salua tamen tanto Viro reuerentia nusquam legibus fundatam cognoscimus. Fundamentum thesis suae posuit in *I. i. §. 23. et I. 2. §. 2. ff. de coll. honor.* Sed nec in vtraque hac lege, nec in antecedentibus, nec sequentibus, de sumptibus studiorum agitur, nisi hic nimis generale velis applicare principitum, ex quo tamen plures elici possent conclusiones. Maiore autem certitudine asseuerare licet, quod non conferantur. II. Sumtus in dignitatem filii facti, de quo expressa dispositio est. *I. i. §. 16. ff. de coll. honor.* qui fauor in tantum extensus conspicitur, ut si adhuc debeantur, defuncto patre, cum filius vel eos nondum impendit, vel aliunde suppeditatos habuit, ille eos a cohaeredibus poscere adhuc possit, quo casu cuicunque eorum pro rata decrescit. *d. I. i. §. 16.*

§. VI.

Inter ea, quae non veniunt in Collationem, referendae sunt III. donationes simplices, sec. *I. 20. §. 1. C. de coll. honor.* Contrariam fouet sententiam **L V D O V I C I in Doctrina Pand. ad tit. de Coll. honor. §. V.** et ideo prouocat ad eandem *legem 20. §. 1. C. b. t.* quam pro nobis allegauimus. Non vero intelligo, qua ratione hanc suam sententiam ex dicta lege probare suscipiat, cum ipsissima legis verba contrarium sensum plene in se continent. Quid enim

enim clarius esse potest his verbis? *illa vero, quae simpli-
cem tantummodo donationem meruit, ad collationem eius mi-
nime coarctanda est, et paulo post, nec recusare collationem
ex eo, quod simplex donatio non aliter consertur, nisi huius-
modi legem donator tempore donationis suae indulgentiae im-
posuerit.* Sed forsitan Ludouicus non satis distincte sepa-
ravit singularem istum casum, qui huic inest legi, quo se-
cuto tunc demum conferenda est donatio simplex. Ea-
dem est ratio IV. donationis mortis causa, et in genere
corum, quae liberis a parentibus praegata sunt. Haec
omnia Collationis legi non subsunt, ac primo quidem le-
gata per l. 4. ff. de dot. collat. deinde etiam fideicomissa.
l. i. §. 19. ff. de collat. bonor. l. 10. C. eod. De donatione
mortis causa in specie exstat. *l. 13. C. h. t.* cuius rei ratio
haec esse videtur, quia quaesita post obitum illius de cu-
iuis successione quaeritur, non conferuntur. *l. 6. C. de collat.*
ab cunctu enim mortis effectum suum accipit, *l. 35. §. 2. ff.*
de mort. causa donat. l. i. §. 19. ff. de collat. bon.

§. VII.

Porro deueniendum est V. ad peculia filiorum, et
inquirendum, in quantum ex iis conferre debeant. De
castrensi et quasi castrensi nullum amplius restare potest du-
biuum, quin clarissimas potius legum habemus dispositio-
nes, quibus a Collatione eximantur, *in l. 12. C. de collat. l.*
i. §. 15. ff. eod. l. 4. et 8. C. de Aduoc. diuers. iudic. quo loco
iungamus singulare illud, quod *in l. 7. C. de bon. quae lib.*

B 2

depre-

deprehenditur, vbi donationes a principe factae peculio castrensi equiparantur, et sic etiam non conferuntur. Nec minus certum est, peculum aduentitium nullo modo Collationi esse obnoxium, quod tum ex *I. vlt. C. de collat.* satis appareat, tum etiam *a. l. 6. et 8. C. de bon. quae lib.* ratiocinando tuto colligi potest. Monebimus hic quaedam de quaestione hoc pertinente, quam pertractauit Illustr. MASCOV. in *supra alleg. diff. §. XXVIII.* an nimirum fructus peculii aduentitii conferre debeant liberi? eamque de suis affirmauit in totum, de emancipatis vero pro dimidia parte vſuſructus. Non memoratis autem, quod ipſe ſibi in hoc alleg. ſpho contradicat, statim negamus a suis conferri debere eiusmodi fructus, et ſequamur diſtinzione, quam *I. 6. §. 2. C. de bon. quae lib.* nobis praebet. Pone caſum; Pater ex vſuſructu earum rerum, quae filio extrinſecus acquiruntur, ſibi aliquit collegit, vel res mobiles aut immobiles inde comparauit, eas in quoſcunque haeredes transmittendi liberam habuit facultatem. Cum ergo ad alios peruererint iſti fructus cur filius, cuius nulla ex eis fuit utilitas, ad Collationem teneatur? Sed fac porro: pater id quod ex vſuſructu collegit, vel res inde comparatas ſecum non retinuit, nec in alios extraneos trans tulit, ſed apud filium reliquit, quid tunc ſentiendum? Praecipit ipsa lex: *nullam poſt obitum patris licentiam babere haeredes alios eius, eundem vſumfructum, vel quod ex hoc ad filios fam. peruenit, ſibi vindicare, poſt obitum patris ipſe lucretur.* Ita nec hoc posteriori caſu conferuntur fructus peculii

peculii aduentitii a filio percepti. Idem dicendum est de Collatione horum fructuum ab emancipato praestanda. Nam in all. l. 6. §. 3. ita habetur de emancipatis: *vt post obitum eorum (parentum) ususfructus in omnibus memoratis causis ad eos perueniat, quorum dominium est.* Superest adhuc peculium profectum de quo regulam tenemus, quod conferatur: Casus tamen adest in contrarium, nempe *si pater hoc peculium filio reliquit.* l. 12. C. de collat. Peculium relictum inuitantur quoque 1) sumptus nuptiales, quippe qui non amplius exstant, nec ex iis locupletiores facti sunt liberi, l. 2. §. 2. ff. de coll. bon. l. 6. C. eod. 2) alimenta, quoniam pater ad ea liberis praestanda naturaliter erat obstrictus, l. 5. §. 1. et 12. ff. de agnosc. et alend. lib. l. 8. §. 5. C. de bon. quae lib. ita ut necare videatur, qui alimonia degnat. l. 4. ff. de agnosc. et alend. lib.

§. VIII.

Ad modus nunc peruenimus, quibus fieri solet Collatio, quorum tres in legibus sisti communiter aiunt, nempe vel re, vel cautione, vel remissione: sed liceat nobis ab hac communi sententia discedere, et duos tantummodo statuere modos, quibus Collatio peragitur, quam singularem nostram opinionem hoc modo defendamus. Videlicet nequaquam concedimus, remissionem esse modum singularem Collationem praestandi, sed eam potius sub modo, qui sit re: occulte latitare asserimus. Modus itaque conferendi re duas habet species, quarum una est,

B 3

quae

quae fit rei istius, quae Collationi obnoxia, actuali traditione, isque modus est Collatio re facta in specie sic dicta: altera vero consistit in rei alius in haereditate permanentis, et vicem illius, quae proprie conferri debebat, sustinentis, facta quasi traditione, quae alias breuis manus nomen adepta est, *l. 15. ff. de reb. cred.* Eo magis autem sententiae nostrae insistimus, quo maior autoritate sit eius defensor, ipse POMPONIVS in *l. 1. §. n. ff. de coll. bon.* vbi sic ait: *Aut enim re, aut cautione facienda erit Collatio,* nec ultioremodum Collationis facienda commemorat. Primum itaque Collationis esse modum affirmamus eum, qui fit re, duabus speciebus suis disiunctum, cui addimus alterum, qui se exserit in cautione. Non autem satis certa videtur legum hac de re dispositio: an fideiussoria cautio sit necessaria, an vero pignoribus quoque caueri possit. In *l. 1. §. 9. ff. de coll. bon.* contradictionem quandam reperimus Pomponii ICti, cum prius dicit, de collatione cauendum esse *per satisfactionem*, i. e. per solos fideiussores, in quo significatu vocabulum simplex satisfactionis accipitur, *in l. 1. ff. qui satisfd. cog.* paulo post vero legimus, ab eodem Pomponio etiam cautionem *pignoribus factam* admitti, cui posteriori opinioni adsentitur ipse Vlpianus. Attamen cupiditas me incessit, argumentum in contrarium proferre, quamvis illorum ICtorum summae eruditioni me maxime imparem libenter confiteor. Pro fundamento autem disputationis meae stet hoc, quod omnem plane reliquam cautionem per pignora praestitam, idque

idque ex sequentibus apparebit. Iam satis notum est, pignora certam habere aestimationem, e contrario non minus clarum videtur, ea, quae in Collationem veniunt, maxime incerta esse, imo forsitan accidere posse, ut quaedam *in occulto* lateant, *l. i. §. ii. ff. de coll. bon.* de quibus tunc demum constare incipiat, posteaquam pignora iam redditia et sublata sunt. Quis vsu intelliget, eo casu pignoratitiam cautionem illusorium habiturum esse euentum. Quo accedit, quod *in d. l. i. §. 9.* dicitur: *Iubet autem Praetor ita fieri collationem, ut recte caueatur, i. e. vt cautio certissima maximeque secura adhibeatur, qualis vero pignoratitia nunquam esse potest.* Tandem sententiae nostrae probationem plene adiuuat *l. 7. ff. de stipul. praetor. Praetoriae satisfactiones personas desiderant pro se interuenientium, et neque pignoribus quis, neque pecuniae, vel auri vel argenti depositione in vicem satisfaktionis fungitur.* Cum vero haec cautio mere sit praetoria, consequens est, ut ea quoque solum per fideiussores praestari possit.



264
18

ULB Halle
007 469 896



3

VDIB



Pr. 59. num. 6.

1765, 44.

16

CITATIO IVRIDICA
DE
CONFERENDI
QVAM
TRIS ICTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRAE S I D E
F R I D E R I C O G O T T L I E B
O L L E R O

P. P. ECCLES. CATHEDR. NVMB.
IVRIAЕ IN PROVINIA SVPREMAE
T FACVLТ. IVRID. ASSESS.

UDITORIO ICTORVM
XXVI. OCTOBR. MDCCCLXV.
PVBLICE DEFENDET
S F R I D E R I C V S H V B L E R
L I P S .

L I P S I A E
OFFICINA LANGENHEMIA



Farbkarte #13

B.I.G.

